



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 150. Orationes Funebres in laudem Eugenii Papæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1447.

§. CXLIX.

*Cardinalis Capuanus Romam
reversus.*

Demortui Papæ exequiis per novem dies de more actis, Cardinales, quorum octodecim Romæ morabantur, post meridianis horis ad Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam conveniebant, de futura electione deliberaturi. Intererat quoque Cardinalis Columna, quem totus populus, & potissima Cleri pars reducem festivis exclamationibus excipiebat, atque ad summi Pontificatus honores, ceu Virum doctrinæ laude, ac vitæ exemplo clarissimum, assimi peroptabat. Attamen horum vota a sacri Collegii consiliis longe diversa erant.

§. CL.

*Orationes Funebres in laudem Eugenii
Papæ.*

Eugenii laudes dupli oratione funebri celebrabantur. Primam dixerat Malatesta Auditor Rotæ, qui præsentem Romanæ Curiæ statum vivis admodum coloribus depinxit. Alteram Cardinalis Bononiensis habuit, in qua de modo ad electionem procedendi differebat, atque inter cetera exclamabat: procul sint odia, exulent favores: tanta demum verborum vi,
tanta-

tantaque dicendi gratia utebatur, ut ejus Sæcul. XV.
 auditores hunc Virum summo Pontifi A. C. 1447.
 catu dignum haberi, haud vano præsa-
 gio sibi alter alteri insinuasse audirentur.
 Cardinales, justis de more Eugenio per-
 solutis, in sacrario monasterii apud S.
 Mariam super Minervam conclave ha-
 bere decreverunt, obluctantibus nequic-
 quam Canonicis Basilicæ S. Petri, qui
 electionem in Palatio Vaticano consueto
 summorum Pontificum domicilio pleni-
 ori libertate perfici posse contendebant.
 Tandem vero tres Cardinales ex S. Col-
 legio præcipui communi ceterorum af-
 sensu omnes conclavis aditus custodibus
 munierunt, & quatuor portarum claves
 Ravennatensis, Aquilejensis, & Sermo-
 netani Archiepiscoporum, necnon Anco-
 nitani Episcopi fidei comiserunt, qui
 omnes in Capitolio, cuius præsidio equi-
 tum Rhodiorum Legatus præerat, habi-
 tabant. Procuratori Generali Carmeli-
 tarum Excalceatorum (*) demandata
 est Capitolii custodia, portam tamen ca-
 stelli S. Angeli muro obstructam fuisse
 non legimus.

§. CL.

(*) Haud dubie legendum est *Calceatorum*,
 cum S. Theresia Carmelitarum Discalceatorum
 Parens primum anno 1515. lucem aspexerit,
 reformationem Virorum anno 1568. incœperit,
 ac demum anno 1582. fatis functa sit.